



SEbastianus apud Boëmos honesto loco natus & optimè educatus fuit. Is cum adoleuisset, armorum exercitia dilexit, & Cæsarū castra secutus, in ijs magnam corporis et animi fortitudinem declarauit, atq; Ferdinando regi gratissimus extitit. Vnde cum magnam rei militaris peritiam nactus esset, Cæsaris nomine ordines duxit, & sua uirtute sæpius Turcis plurimùm damni dedit. Cum itaq; bellum Smalkaldicum exortum esset, hic Sebastianus Boëmici exercitus ductor 1546, die 20 Octob. Ferdinando iubente, contra Ioannem Fridericum Electorem Saxoniae infestis copijs mouit, atq; bellum denuntiauit. Causæ erant, quod superioribus

annis Dobrilugum Collegium occuparit, deinde quod Ferdinando regi fidē renunciarit, atq; hoc modo Bohemicum fœdus uiolarit. In ea expeditione Sebastianus uiriliter egit, atq; Saxoniam uastauit. Quoniã uerò multi Bohemorum ob religionem Electorem amarent, atq; bellum illud tanquam nō necessarium recusarent, Ferdinandus sequenti anno die 8 Martij Bohemis sedulo scripsit, ut huic Sebastiano legato suo obtemperent, & hostem Electorem aggreantur. Id cum Bohemi facerent, contigit quod Saxoniam occupata, etiam Elector uiuus in Cæsaris potestatem deueniret. Vnde ob hanc & alias huiusmodi uictorias ipse Sebastianus magnum sibi apud Bohemos & Germanos nomen comparauit. Sleid.